



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 1. E quibus authoribus remedia contra Fortuna[m] peti poßint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

CAPVT. X.

*Quenam, in Fortune casibus, è Seneca
peti possint, contra impatientiam,
remedia?*

§. I.

*E quibus authoribus remedia, contra For-
tunam, peti possint?*

Vdiuimus Augustinū docentem, quo pacto, humanæ felicitatis iactura parui æstimanda sit; quod etiam Seneca, Plutarchus, Petrarcha, Boccacius aliique complures, totis voluminibus, tradiderunt. E quibus tametsi non libet, hunc librum distendere; placet tamen bonam partem apponere, ex epistola Senecæ Liberalem consolantis, post urbem patriam eius, incendio, absumtā. Ex ea epistola hominis Ethnici, licet cognoscere, *Fortuna muneribus utendum, non fidendum; quia leuis magnas opes huc fert & illuc casus; nec homines tantum, sed totas vrbes abolet. Licet item ex ea epistola discere, qua mentis æquitate, Christiano aduersa sint toleranda, si diuina Religionis luce destituti, cum quaterentur, tam fortiter steterunt. Apparebit etiam, miserum esse, quisquis felicitatem*

P

tatem

tatem sperat à miseris. Denique constabit, qua ratione animus sit, contra Fortunam, muniendus, qua perinde ut quisque utitur, ita præcellit. Sic ergo scribit Seneca:

§. II.

Lugdunensis incendij miseranda calamitas.

Senec.
lib. 1. e-
pist. 91.

Liberalis noster nunc tristis est, nunciato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. Mouere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patria sua amantissimum. Quæ res efficit, ut firmitatem animi sui querat, quam videlicet ad ea, quæ timere posse putabat, exercuit. Hoc verò tam inopinatum malum penè inauditum, non miror, si sine metu fuit, cum esset sine exemplo. Multas enim ciuitates incendium vexauit, nullam abstulit. nam etiam ubi hostili manu in tecta ignis missus est, multis locis deficit, & quamuis subinde excitetur, raro tamen sic cuncta depascitur, ut nihil ferri relinquat. Terrarum quoque, vix unquam tam grauis & perniciosus fuit motus, ut tota oppida euerteret. Nunquam denique, tam infestum vlli exarsit incendium, ut nihil alteri superesset incendio. Tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare urbes singulas possent, vna nox strauit, & in tanta pace, quantum ne bello quidem timere